



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

149. Ecclesia Parochialis unde dignoscatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

si parochiani, qui in parochia habitant, ex aliqua causa vel culpa ibi non percipiunt divina; quia ad effectum ut curatus consequatur jura parochialia, sufficit, quod per illum non stet, quod non ministrat sacramenta. Corrad. l. 3. c. 5. n. 9. citans Abb. ad cap. extirpanda. & Rebus. neque enim parochiani percipiunt sacramenta in aliena parochia efficiuntur alterius parochia. Quin etiam si Parochus neglexerit ministrare sacramenta parochianis, qui ea de causa fuerint coacti ad ea percipienda alibi, hæc culpa curati non mutat statum Ecclesie. Corrad. loc. cit. citans Mareſchor. variar. resol. l. 2. c. 95. n. 2. ubi ait, id procedere, si constet Ecclesiam habere limites, intra quos adsint habitatores, nec probetur illos recessisse, vel saltem remansisse 10. personas, quæ sufficiunt ad constituendam parochiam, multoque minus excluditur parochialitas, aut Ecclesia definit esse parochialis actu ex eo, quod de illa non resederint penes dictam Ecclesiam; cum id potius sonet solum abusum; quemadmodum Ecclesia dicitur actu collegiata, dum sunt in ea Canonici, licet non resideant; culpa enim & abusus non operatur, ut Ecclesia definat esse Collegiata. Corrad. loc. cit. n. 11. citans pro hoc plures Rotæ decisiones; sed neque Parochialis habitus tantum talis amittit sua jura & privilegia ex eo, quod cesserit in ea exercitium parochialitatis, sed ea semper reservantur, licet talis Ecclesia effecta jam beneficium simplex; unde videmus quandoque simplicibus beneficiis comperere ea, quæ alias comperunt parochialibus. Corrad. n. 12. Porro Ecclesie parochialis Rector habitualis & actualis aliud sonant juxta sæpe dicta; ille enim est Monasterium, Collegium vel Prælatum, aliusve, cui vel cujus beneficio unita est parochialis; hic verò est Vicarius illius actualem exercens curam. Card. Luca in Miscell. d. 1. n. 25.

Quæstio 149. Ecclesia parochialis unde dignoscatur?

1. **R**espondeo eam non dignosci ex eo, quod fontem baptismalem habeat, & inibi aliqui baptizentur; vel etiam quod simul cœmeterium habeat, in quo aliqui jus sepulture habent; quia hæc duo Ecclesie non parochiali ex consuetudine vel privilegio, vel concessione superioris Antistitis seu Episcopi comperere possunt. Azor. loc. cit. q. 3. Corrad. loc. cit. n. 5. citans Card. Anchor. Imol. in Clem. 1. de baptismo. Decium in c. ad aures. de rescript. n. 10. sed neque ex decimarum, oblationum & primitiarum receptione; cum decimæ possint acquiri Ecclesie non parochiali ex alio titulo, quam ex jure divino, ex quo Ecclesie parochiali debentur. Item etiam aliunde concedi primitiæ & oblationes, licet de cætero perceptio decimarum, oblationum & primitiarum, uti & actus baptizandi sint jura parochialia. Corrad. loc. cit. Barb. cit. l. 20. n. 20.

2. Respondeo secundò: dignosci parochialem ex eo, quod habeat populum certis distinctum finibus loci seu territorii, vel aliter (quod addo, quia fieri potest auctoritate Episcopi, ut parochia per certas tantum familias, etiam promiscue cum aliis habitent, distinguantur. Azor. ibid. C. Luca de Paroch. d. 24. n. 3. Barb. loc. cit. n. 22. qui etiam ea sacramenta recipere ipso jure compellitur, præsertim si in ea singuli ex assignato illi districtu annue confiteantur & Eucharistiam in Paschate sumere consueverint. Azor. ibid.

Quæstio 150. Quæ requirantur, ut Ecclesia probetur parochialis, dum fortè dubitatur, an in ea recipientes sacramenta ad id compellantur necessitate juris?

Respondeo sequentia; quæ Barb. loc. cit. congerit ex Card. Tusch. litt. P. concl. 94. n. 3. & 4. Primò: quod habeat populum sibi deputatum, distinctum certis limitibus. Secundò: quod is ibi diebus festivis audiat missam; juxta Trid. sess. 23. c. 14. Tertio: quod ibi recipiant sacramenta. Quarto: quod ibi passim sepeliantur, etiam non facta aliqua electione per defunctos, aut ibi existentibus sepulturis majorum. Quintò: quod in ea asserverur Eucharistia; quæ alias in parochialibus debet retineri, ita ut in aliis non retineatur, nisi ex indulto Apostolico, quod habent regulares juxta notata in Clement. 1. de privil. & Piacet. in praxi Episcop. p. 2. c. 3. n. 7. Sextò: quod ibi fiant oblationes. Septimò: quod recipiat decimas.

Quæstio 151. Quotuplices sint parochialium Ecclesiarum species?

Respondeo, esse varias; aliquæ enim sunt unica in loco habentes alias inferiores Ecclesias tanquam adjunctrices & membra subordinata: alia, ubi earum plures in civitate vel loco existunt juxta ordinariam ac regularem naturam inter se distinctos fines, distinctumque populum habent, ita ut unum ovile cum alio non confundatur; alia verò absque ista finium distinctione oves proprias sic distinctas habent per solam distinctionem familiarum; alia ne quidem istam distinctionem habent, sed jure cujusdam communionis universalis, qualibet pro suo posse universo populo, seu accedentibus promiscue sacramenta ministrat; hanc autem posteriorem speciem Trid. sess. 24. c. 13. parum commendat, jubetque per Ordinarios reduci ad secundam speciem (quo tamen Concilii decreto non comprehendi parochias tertie speciei; nimirum distinctas sola familiarum distinctione, ait Barb. cit. c. 20. n. 22. etiam contrarium insinuat de Luca) ita ferè idem de Luca in Miscell. d. 1. n. 31. Porro ratione præminentie cujusdam quandoque Ecclesie parochiales fortiuntur diversas nuncupationes & qualitates; dum nimirum una vel tanquam in loco antiquior, vel in primævo statu unica, postmodum verò ex fidelium multitudine divisâ major seu matrix dicitur; alia verò filiales. In quo casu omnes in jure parochiali sunt æquales, cum omnimoda independentia; una tamen ad instar Decani seu primæ dignitatis in Capitulo aliquam majorem habet prærogativam; ubi verò Ecclesie ab una aliqua dependent cum omnimoda subordinatione, tunc licet pro communi usu loquendi matricis quoque ac filiarum nomen adhibetur; impropria tamen est locutio; quia reipsa tunc unica tantum est parochialis; alia autem dicitur inferiores Ecclesie adjunctrices tanquam membra, pro commodioris juris parochialis & curæ exercitio. de Luca loc. cit. citans seipsum de Parochis d. 32. & seq. Similiter ubi Ecclesiarum ab invicem independentium una ratione antiquitatis vel alterius præminentie est major seu prima in loco, ad eum scilicet effectum, ut ibi v. g. majores solennitates celebrari debeant, atque ad eam alia inferiores accedere, improprie appellatur matrix comparative ad aliam tanquam filiam, ex qua seu ex cuius territorii & populi parte efformata est alia cum

ere-